

FRIDERICVS BARBAROSSA IMPERATOR.



Ridericus à rubea barba Barbarosla cognomi-
natus, filius fuit Friderici ducis Sueviæ fratrís
Conradi regis, & Iudithæ Heinrici Nigri Norico-
rū ducis filiæ. Princeps manu & ingenio strenuus,
qui animi & corporis donis ingentibus erat predi-
tus. memoria insigni pollebat, ita ut omnium uerbo
rum, quæ etiam cum mediocris fortunæ homine
contulisset, semper recordaretur. Omnibus erat af-
fabilis & mansuetus, & tantum superbis infestus. li-
beralitate, iustitia, & prudentia omnes alios princi-
pes eius temporis superabat. Erat statura procera
& optimè constituta, facie eleganti, atq; capillo &
barba rufa. Conrado itaque defuncto ab uniuersis

Germaniæ principibus unanimi consensu Francofurti in eius locum Cesar e-
ligitur. Erat enim is Conradi regis defuncti ex fratre, atq; Guelffonis ex sor-
ore nepos, ita ut duæ illæ potentissimæ familiæ Heinricorum & Guelfforum,
quæ longas inuicem simultates exercuerant, in unico Friderico coalescerent.